

Quod si non sensus modo ei sit datus, verum etiam animus hominis: non necesse est, et illa pristina manere, ut tuenda? et inter haec multo esse cariora, quae accesserint? animique optimam quamque partem carissimam? in eaque expletione naturae summi boni finem consistere, quum longe multumque praestet mens atque ratio? Sic et extremum omnium appetendorum, atque ductum a prima commendatione naturae, multis gradibus adscendit, ut ad summum perveniret: quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.

Leg. III. 1, 2. — Videtis, magistratus hanc esse vim, ut praesit, praescribatque recta et utilia et conjuncta cum legibus, (ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus): vereque dici magistratum legem esse loquentem; legem autem, mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad jus conditionemque naturae (quod quum dico, legem a me dici, nihilque aliud intelligi volo), quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam et hic deo paret, et huic obediunt maria terraeque, et hominum vita jussis supremae legis obtemperat.

Atque, ut ad haec ceteriora veniam, et notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines justissimos et sapientissimos deferebatur; idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit; deinde etiam deinceps posteris prodebat; quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis; quaeque de optima republica sentiremus, in sex libris ante diximus: accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum. Magistratibus igitur opus est; sine quorum